Quelle: https://manuscripta.at/?ID=916
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

dita sunt corpora anno et mensibus septem quousque fabricarentur loca in quibus posita sunt corpora sanctorum. Et illic revocata sunt cum gloria ymnorum et posita sancti petri in uaticano naummachie. et sancti pauli in uia ostiensi miliario secundo. ubi prestantur beneficia orationum eorum in secula seculorum amen.

Pauli apost.

Paulus hebraice mirabilis. apostolus latinos primus interpretatur. hic ante saulus. hoc seuus. apostolus gentium. aduocatus iudeorum a Christo de celo uocatus in terram prostratus. qui osculatus cecidit cecatus surrexit. et ex persecutore effectus est uas electionis. ex lupo ovis. cui nulla sors propria traditur. cum ceteris apostolis ad predicandum. quia in omnibus magister et predicator eligitur. Nam sicut petro datus est apostolatus in reliquiis circumcisionis. ita et paulo prepucii in gentibus. Hic euangelizauit septem ecclesiis. et tribus discipulis. inter apostolos uocatione nouissimus. predicatione primus. Gamalielis in lege discipulus. in euangelio Christi seruus. cuius patria iudea fuit. genus de tribu beniamyn. Hic secundo post ascensionem domini anno baptizatus. dignitatem meruit apostolatus atque plus omnibus laborans. multum latius inter ceteros uerbi dei gratiam seminauit atque doctrinam euangelicam sua predicatione compleuit. Incipiens enim ab iherusolimis usque ad yllyricum. et ytaliam. yspaniasque processit. ac nomen Christi multis manifestauit gentibus.